

1053

P A T R I S T I C I

1054

dini *Minor.* et *medio aevo* adscribit. Ceterum *Codex* noster complures lectiones diversas et saepe frugi subpeditat. Ita *Goldast. cuncta starent elementa.* Noster: *coactum maris seruiret elementum.* *Gold. itineris necessitatem infatigatis.* *Sirm. infatigatus.* Nost. *itineris necessitate fatigatus.* *Gold. Luna — damna effugiat.* Nost. *sentiatur.* *Gold. Quid autem rationabilem animam — expediatur.* Nost. *expelet &c.*

XXXII. fol. 198. De *Prelatis.* De *Justicia Principum.* De *Pacientia.* Quod *Principes Legibus teneantur.* Singulare, quod in *Goldastiano* etiam *Codice Capita* haec continuo *Valeriani Sermonem* exceperint, qui cum ita finiat: *sequenti tempore differamus,* et materia ipsa congruat, facile induci quis potuerit olim, ut et haec de *Principum officii* *Placita Valeriano* adscriberet. Sunt vero *Isidori Hispal.* apud quem L. III. *Sentent. Capita XLVIII — LI.* constituunt. Vide *Goldasti Editionem* (Genevae) apud *Petr. de la Rouiere.* 1601. p. 23. 8. et *Jac. du Breul Paris.* eod. an. p. 684. f. quorum utramque cum nostro *Cod.* contendere non inutile fuerit futuro *Isidori* editori.

Insunt praeterea *Codici* *Schemata II. Alphabetico - Arithmetica,* quorum primo p. 1. *Literarum Graecarum Nomen,* *Figura,* *Valor numericus,* et *comparatio* cum *Latinis* exhibetur. *Figura κοππα* ad designandum numerum 90. hic *Quo* audit et per

Y sed absque puncto imposito exprimitur. Numerus 900 figuram ¶. et 1000. vocem *Mennacuse* subjectam habet. Alterum *Schema fol. 73. p. 2.* Numeros vocibus et literis *Rom.* ab *Unitate* usque ad *Mille milia* enunciatis complectitur, subjecta gemina hac *Regula: Litera numeralis minus significans si preponitur tantum demit de sequenti quantum in se habet. Litera numeralis cui titulus (id est lineola —) superscribitur transit in millenarium numerum.* Tantum de insigni hoc *Volumine,* quod olim *Coenobii S. Mariae Chotwich* seu *Gottvicensis O. S. B.* in *Austria* fuit.

CCLXXXIV. VII D. 4

*Codex* membranaceus *lat. Sec. 242.* XIV. *Folior. 216. f.* per duas columnas nitide exaratus et rubricis ornatus complectitur *I. Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis* *Scriptoris* *Sec. XI.* opuscula hoc ordine:

*Fol. 1. Incipit prefacio libri monologij anselmi archiepiscopi cantuar.* *Quidam fratres sepe me studioseque precati sunt &c.* *Finis: sed solus deus ineffabiliter trinus et vnus.* Extat in edit. *Opp. a Gabr. Gerberonio curata Paris. 1721. f. p. 3.* istud *Monologium.*

*Fol. 20. Incipit prefacio libri profologyon beati anselmi cantuariensis archiepiscopi. Postquam opusculum quoddam uelud exemplum meditandi &c.* *Finis: donec intrem in gaudium domini mei qui est*

*est trinus et vnus deus in secula seculorum amen. Extat edit. cit. p. 29.*

*Fol. 25. p. 2. Incipit prefacio libri Cur deus homo. Opus subditum quod propter quosdam qui antequam perfectum et exquisitum esset &c. Finis: deo non nobis attribuire debemus qui est benedictus &c. Edit. p. 74. et nobis etiam alibi.*

*Fol. 46. p. 2. Incipit liber de incarnatione verbi. Domino et patri uniuerse ecclesie in terra peregrinantis summo pontifici urbano &c. Deest itaque Praefatio, quam praemisit Gerberonius p. 41. Finis: in eodem libello inueniet aperte. Edit. p. 41.*

*Fol. 53. p. 2. Incipit prologus in librum de peccato originali seu de conceptione virginali. Cum in omnibus religiose tue uoluntati uelim. si possim obsequi &c. Finis: si vera probari poterit. Edit. p. 97.*

*Fol. 62. Incipit liber de processione spiritus sancti. Negatur a grecis quod spiritus sanctus &c. Finis: michi imputetur, non sensui latinitatis. Edit. p. 49.*

*Fol. 72. p. 2. Incipit liber de concordia prescientie et predestinationis et gratie dei cum libero arbitrio. De tribus illis questionibus in quibus dei prescientie &c. Finis: gratis volui petentibus impendere. Edit. p. 123.*

*Fol. 82. p. 2. Prologus communis in libros tres scilicet de veritate, de libertate arbitrij, de casu dyaboli. Tres tractatus pertinentes ad studium sacre scripture*

*&c. Finis primi libelli de Veritate: tunc eius dicitur ueritas uel reſtitudo. Edit. p. 109.*

*Fol. 88. p. 2. Incipit liber de libertate arbitrij. Quoniam liberum arbitrium uidetur repugnare gratie et predestinationi &c. Finis: quod mihi necesse sit interrogare de illis. Edit. p. 117.*

*Fol. 93. Liber de casu Diaboli absque inscriptione. Initium: Illud apostoli quid habes quod non accepisti &c. Finis: sicut idem est loqui et uti potestate loquendi. Hunc librum a duobus praecedentibus auulfit et praemisit Gerberonius p. 62. contra mentem Anselmi, qui Praef. communem supracit. ita concludit: Sic tamen eos, ut hic posui, volo ordinari.*

*Fol. 102. p. 2. Dialogus de Grammatico absque inscriptione. Initium: De grammatico peto ut me certum facias &c. Finis: nobis hec profecisse non negabis. Edit. p. 143.*

*Fol. 107. p. 2. Incipit liber anselmi cantuar. archiepiscopi de similitudinibus. C. 1. Tripliciter intelligitur uoluntas. Etenim dicitur illud anime instrumentum &c. Finis C. 192. ne nobis noceant in quantum uolunt. Desunt ergo Capp. 193. et 194. Collectionis hujus, cui nomen Anselmianorum melius conueniret, utpote ex Similitudinibus et aliis dictis ab Anselmo olim usurpatis contextae, quemadmodum adparet in ejus Vita scripta ab Eadmero Monacho Cantuariense, quam habes ad calcem edit. Gerberonii saepe cit. Νοθειαν hujus collectio-*

nis primus ostendit *Theoph. Raynaudus* in edit. Opp. *Anselmi Lugd.* 1630. f. Ita et in *Gerberoniana* locum ultimum tenet.

Fol. 134. p. 2. *Incipit disputatio pro insipiente. Est Gaunilonis* cujusdam *Majoris* — *Monasterii Monachi* adversus ratiocinationem *Anselmi* in *Proslogio* et incipit: *Dubitanti utrum sit uel neganti quod sit talis aliqua natura &c.* Finis: *omnia cum ingenti veneratione et laude suscipienda.* Edit. p. 35.

Fol. 136. *Incipit liber anselmi archiepiscopi et abbatis contra* (Gaunilonem) *respondentem pro insipiente. Quoniam non me reprehendit in hijs dictis &c.* Finis: *benevolentia non malevolentia reprehendisti.* Edit. p. 37.

Fol. 138. Septem ex *Anselmi Epistolis.* Prima *Goffredo* episcopo *Parisiensi:* *Quamuis diuina dispositio ualde longe a reuerentia uestra meam separet paruitatem &c.* In Edit. L. III. ep. 12. Secunda cuidam *Abbatissae* et ejus *Congregationi.* *Quamuis uestrum sanctum studium mea monitione non egeat &c.* In Edit. L. IV. ep. 105. Tertia *Leutoni* (Gerb. *Lanzoni*) amico. *Cum meum et tuum karissime desiderium &c.* In Edit. L. I. ep. 29. Quarta *Fulconi* episcopo *beluacensi.* *Scio mi dulcis amice, quantum dilectio uestra &c.* In Edit. L. III. ep. 11. Quinta *Waleriano nuenburgi* (Gerb. *Waleranno Newemburgensi*) episcopo. *Scienti breviter loquor. Si certus essem &c.* In Edit. inscribitur *de Tribus Wa-*

Denis Codd. m/s. theol. Bibl. Palat.

*leranni Quaestionibus* et habetur inter opuscula p. 135. Sexta eidem *Waleriano nuenburgensi.* *Gaudeo et gratias ago deo, quia sicut scribitis &c.* In Edit. audit *ad Waleranni querelas Responso* p. 139. Ultima *Odoni* et *Lanzoni* amicis. *Quoniam uerus amor sicut laudabiliter impenditur &c.* In Edit. L. I. ep. 2.

Plurimis horum *Anselmi* Opusculorum praefixa sunt *Summaria,* impensumque est a coeua manu passim in margine emendationis et suppletionis officium, ut adeo bonae notae haberi possit Codex.

II. fol. 145. Sequuntur sacra Opuscula *An. Manl. Torq. Sev. Boethii* Viri consularis et Patriicii a *Theodorico* Rege, ut notum, a. 525 aut 26. interfecti, et quidem hoc ordine: *Prologus boecij de trinitate.* Initium: *Inuestigatam diutissime questionem &c.* Opusculi ipsius: *Christiane religionis reuerentiam &c.* Finis: *quantum imbecillitas subtrahit, uota supplebunt.* In editis inscribitur: *Quomodo Trinitas est unus Deus, et non tres Dii. Ad Q. Aurel. Memmium Symmachum* focerum.

Fol. 147. p. 2. Rubrica. *Que secundum substantiam et que solum ad aliquid de deo dicantur.* Initium: *Quero an pater et filius et spiritus sanctus &c.* Finis: *et fidem si poteris rationemque coniunge.* In edit. *Utrum Pater ac Filius et Spiritus sanctus de Diuinitate substantialiter praedicentur. Ad Joannem Ecclesiae Romanae Diaconum.*

X x x

Fol.

Fol. et pag. iisd. *Liber boecij de bono ad Johannem dyaconum.* Initium: *Postulas ut ex ebdomadibus nostris &c.* Finis: *alia aliud, omnia bona.* In edit. *An omne, quod est, bonum sit, cum non sint substantialia bona.*

Fol. 149. absque titulo: *Fidei Confessio sive brevis Institutio Christianae Religionis,* quam jam *Trithemius* sub nomine *de Fide ad Johannem Diaconum* n. 201. designavit; primus vero sacris *Boethii* Opusculis adjecit editis cum *LL. de Consolatione Philosophiae Lugd. B.* 1656. 8. *Renatus Vallinus* praevertens *Phil. Labbeum,* qui idem habebat propositum, ut ait *T. I. de Scriptt. eccl. Paris.* 1660. p. 206. 8. Initium est: *Christianam fidem noui ac ueteris testamenti pandit auctoritas &c.* et finis: *cibus opus laus perpetua creatoris.* Subjuncta est in *Cod.* nostro breuis *Narratio* de erroribus *Eutychis* et *Nestorii,* quae unam et mediam *col.* occupat et incipit: *Flauianus episcopus prodidit eutichen hereticum sub diocesi et parrochia sua presbyterum &c.* finitque: *Vnde in anthiphona cantatur non commixtionem passus neque diuisionem.* Quod si quis *Narrationem* hanc *Prooemium* sequentis Opusculi dicere voluerit, non me habebit inuitum. Sequitur enim

Fol. 151. absque titulo *Boethii aduersus Eutychen et Nestorium de duabus naturis et una persona Christi liber,* ut in editis inscribitur. Inchoat: *Anxie te quidem diu sustinui &c.* et finit: *at-*

*que omnium bonorum causa perscribit.* Ad *Johannem Diaconum* supra dictum scriptus est. Vide et *Cod. CCCXXXI.*

Fol. 156. p. 2. absque titulo Opusculum *de Unitate et Uno,* quod incipit: *Unitas est qua unaqueque res una esse dicitur &c.* et finit: *et est id quod est.* Metaphysicum est potius, ideoque inter sacra a *Vallino* non receptum; extat tamen in editionibus *Opp. omn. Boethii* exempli causa *Basileae* 1546. p. 965. f.

III. fol. 158. Incipiunt capitula libri primi sancti *ysidori* episcopi *de summo bono.* Opus alias inscriptum: *Sententiarum Libri III.* a primis *L. I. C. I.* verbis: *Summum bonum deus est &c.* denominationem illam tulit. Ante *L. II.* defunt *Summaria.* *L. I. c. de Ecclesia et Haeresibus* nobis in duo dividitur. Ultimum inscriptum *de Penitentibus* non habetur in edit. *Jacobi Du Breul Paris.* 1601. f. ut jam ad *Cod. CCLXXII.* monuimus. *L. III. c. 48.* quod in edit. *de Praelatis* inscribitur, rectius apud nos duo Capita constituit unum *de Praelatis,* alterum *de Regibus.* Ita et *C. 50.* titulo *de patientia Principum* rectius cum nostro in duo dividitur: *de patientia Principum* et *de delictis Principum.* Neque in sequentibus divisiones *Capitulum* exacte cum impressis conveniunt.

IV. fol. 204. p. 2. Incipit liber *soliloquiorum sancti ysidori.* Praemittuntur eadem, quae *Cod.* mox cit. indicavimus. *Rubricae* per decursum penitus a divisione

*Capitum* abeunt, quam adoptavit *Du Breulius*, et mira est lectionis varietas. Qua de caussa hic quoque *Codex* dignus est, ad quem futurus *Isidori* fospitator respiciat.

## CCLXXXV.

77  
nume  
VI. B.  
24.  
Codex membranaceus lat. Sec. XII. Folior. 215. f. eleganter exaratus, bonaeque notae, pertinens olim, ut in fronte praefert, ad sanctam Mariam Kotwic. i. e. Monasterium Gottvicense O. S. B. Austriae infer. complectitur I. S. *Anselmi* Archiep. Cantuariensis *Libros II. Cur Deus Homo*, quos teste *Eadmero* L. II. *Vitae Anselmi* in Anglia coeptos in villa Schlavia Provinciae Capuanae anno 1098. absolvit. *Praefationis* initium est: *Opus subditum quod propter quosdam &c. Praefationem* excipit *Elenchus capitum*, de quo ipse Autor in Praef. *Hanc praefatiunculam cum capitulis totius operis omnes qui librum hunc transcribere uolunt ante eius principium ut praefigant postulo.* Gabr. *Gerberonius* in ultima *Opp. Anselmi* editione *Paris.* 1721. f. *Elenchum* hunc per totum Opus, quod nobis indivisum decurrit, distribuit. Post *Elenchum* sequitur *Prologus Anselmi de Incarnatione Verbi* temere huc insertus et a *Gerberonio* edit. citat. p. 41. loco suo restitutus. Ipsum tandem Opus sic incipit: *Sepe et studiose a multis rogatus sum &c. Finit vero: deo non nobis attribuere debemus qui*

*est benedictus in secula. Amen. Explicit liber cur deus homo.*

II. et quidem a *Fol.* 26. *Explicatio Geneseos Libris III.* constans, quorum quivis *Capitum Indicem* praemissum habet. Liber I. incipit: *Querentes multiplicia congerere ne stomachus legentium saturatus &c. Finit: Nostri operis finiendus est Liber.* II. incipit: *Secunda namque Seculi aetas &c. Finit: tunc omnis Israhel saluus erit.* III. incipit: *Deus Summe Bonitatis a quo est Datum optimum &c. Finit: per quem factum est ut ingrederetur.* *Explicatio* haec olim perperam attributa fuit alterutri *Eucheriorum Epp. Lugdunensium*, de qua re vide *Caveum* T. I. Sec. V. p. 424. *Oudinum* T. I. Sec. eod. col. 1220. quorum rationibus novum pondus addit *Codex* noster, qui in marginibus sententias ab *Hermeneuta* nostro non solum ex *Augustino* et *Hieronymo*, verum etiam ex *Isidoro* et *Gregorio M.* utroque *Eucherio* junioribus de promptas notat. Legitur haec *Explicatio*, quae Anglum quendam, fortassis ipsum *Bedam*, compilatorem habere videtur, in *Bibliotheca PP. Lugdun.* T. VI. col. 868.

III. et quidem a *Fol.* 137. *Expositio super librum Regum* in *Libros IV.* distincta, quorum quemvis *Capitum Index* praecedit. Initium I. *Regum tempora post Iudices &c. Finis: sed quid egerit pertinebit.* Initium II. *Promissiones enim Dei quae factae sunt ad abraham &c. Finis: magisterii reuerentia*